


10


BIBLIOTEKA


Zakl. Nar. im. Ossolińskich

XVII

868







REFUTATIO
DISPUTATIONIS
DE SPIRITU SANCTO,

Quæ hoc anno in Academia Ienenfi habita
est, præfide Alberto Gravero, Theologiæ
ibidem Doctore & professore,

scripta

à

VALENTINO SMALCIO Gothano.



119554

RACOVIE,

119554

Anno 1613.



XVII - 868 - III

REFUTATIO DISPUTATIONIS
de Spiritu sancto, quæ hoc anno 1613. 20. Februarii
in Academia Jenensi habita est, præside Alberto
Gravero, Theologiæ ibidem Doctore &
Professore.

P R Æ F A T I U N C U L A.

*M*ISSÆ sunt ad nos a viro quodam primario ex Germania non ita pridem Theses, quibus sententia nostra de Spiritu sancto impugnatur; & simul rogatum fuit, quemadmodum nobilis quidam adolescens ad nos perscripsit, ut adversus ista, quæ tum Graverus tum alii inexpugnabilia esse putant, aliquid a nostris scriberetur. Quanquam verò tot hæctenus editi sunt a nostris libri, quibus omnia adversariorum hac de re argumenta dissoluta sunt, nolui tamen veritati oppugnata iterum deesse, & in gratiam popularium meorum hunc quantulumcunq; laborem, antequam animadversiones meæ in Theses Wolfgangi Frantzii Doctoris Academiae Wittenbergensis, quas 24. disputationibus absolvit, jam pridem confecta prodeant, libens in me recepi, sperans fore, ut veritas, quantum magis oppugnatur, tanto rectius omnium sese oculis & mentibus insinuet. Itaq; rectè ad ipsas theses refutandas accedo.

1. Thesis est.

Deum esse unum in essentiâ & trinum in personis p̄t̄ōs seu ad litteram probari non posse ex sacris Scripturis lubenter concessimus: interim tamen per bonam consequentiam ex iisdem firmiter demonstrari posse asseruimus.

HIC candorem Graveri non possumus non vehementer probare. Rari enim sunt, qui id concedant, quod tamen concedendum esse non pauci viri docti animadverterunt. Nam & Pontificii sunt quorum alii Trinitatem ideo se credere ajunt, nō quod scriptura dicat, sed quod non contradicat; alii verò eam sine traditionibus & Ecclesiæ auctoritate defendi non posse fatentur: & adversus Evangelicos, qui solo verbo Dei omnia in religione expediri posse credunt, gloriantur. Nos verò dum ista audimus, ingentes Deo gratias agimus, jam enim constat ipsorum adversariorum testimonio, quo nullum validius esse potest, dogma hoc nec ad salutem necessarium, nec verum etiam esse. Quomodo enim ad salutem necessarium esse id dici

Hofius Cardinalis.

Vujekus Iesuita.

Dogma Trinitatis nec necessarium ad salutem, nec verum est.

potest, quod tantū per consequentias ex S. literis demonstratur? Cum certum sit, eum in finem potissimum conscriptas esse sacras literas, ut quid necessarium sit ad salutem, omnibus & singulis expresse constaret: & nihil prorsus dari posse, quod ad salutem necessarium sit, quod in sacris literis non contineatur *ῥητῶς* & ad literam, vel hinc constat, quòd omnes vulgares & simplices teneantur ea intelligere & credere, quæ ad salutem sunt necessaria. Consequentias autem capere non cuivis datum esse, sana docet ratio & experientia. Quomodo etiam verū, in Theologia scilicet, esse potest, quod ex solo Dei verbo absq; ecclesie traditionibus probari nequit; præsertim, si pro verbo Dei ea etiam admittantur, quæ ex illo legitimè deduci possunt, quod nos planè confitemur. Cum omnia quæ ad religionem verè pertineant, non nisi in sacris literis consignata sint, & vix sententiæ alicujus falsitatis majus argumentum esse possit, quam si ex solo verbo Dei probari nequeat. Unde porrò constare potest Grævero, & omnibus qui cum illo consentiunt, quàm graviter errent, qui dogma trinitatis pro fundamento quodam Christianæ religionis habent, imo etiam peccent, qui nos, qui illud rejicimus, cane pejus & angue oderunt, & vitâ etiam indignos existimant, quia id non fateamur, quod *ῥητῶς* ex sacris literis probari nequit. Fundamentum religionis in libro, in quo religio illa describitur, non contineri expresse & *ῥητῶς* dicere, est ^{libros} ^{istos} ^{suspectos} apud perspicaces reddere. Cur enim non potius fundamentum expresse descriptum in illo extet, quàm multa alia, quæ fundamentum ejus non sunt? Odisse autem aliquem, qui omnia credat, quæ ad literam sunt scripta in sacra scriptura, quomodo quæso cum sana ratione, quomodo cum Christiana charitate convenit? In sacra scriptura *ῥητῶς* extat esse Deum Patrem, Filium, & Spiritum sanctum. Hoc quicumque credit, is nullo modo a Christi Ecclesia rejiciendus est, si modò alias sententias non sequatur, quæ fidem in Christum & veram pietatem tollant. Et hoc quidem faciendum esset, etiamsi optimæ essent consequentiæ, ex quibus probari posset, Trinitas personarum in una numero essentia Dei. Iam verò, si consequentiæ, quæ illud suadeant, nullæ sint, constare potest, quàm procul a veritatis tramite deviârunt illi, qui nomen sibi Christianum, ob hoc potissimum vendicant, quòd istam in una essentia personarum pluralitatem credunt: alios verò, qui cur id non credant, rationes ex ipsis sacris literis, & sana ratione tales afferunt, quæ hæcenus a nemine solidè refutatae sint, interim verò Patrem, Filium & Spiritum sanctum confitentur, & doctrinam de illis tribus ad salutem necessariam esse contendunt, nomine Christiano indignos esse censent. Qua in re ut tandem omnes resipiscant, Deum precamur. Interim bonâ ani-

Trinitas non est
fundamentum re-
ligionis.

Quis pro Chri-
stiano habendus.

Error gravis
Christianorum.

nâ animi conscientiâ nosmetiplos solabimur, argumenta verò quibus istud dogma comprobari posse autumant aduersarii, pro viili refutare conabimur.

Quod ad bonam consequentiam Graveri attinet, quæ est: *Non solum pater sed etiam filius & Spiritus sanctus Deus appellantur. Ergò cū tantum unus Deus sit, sequitur illum esse unum essentia, trinum personis.* Respondemus directè, antecedens tum falsum tum ambiguum esse. Falsum enim est, Spiritum sanctum usquàm Deum appellari in sacris literis. Ambiguum est, quod Christus Deus appelletur, licet enim hoc concedatur, hinc tamen non sequitur, eum esse æternum vel summum illum Deum, quod in quæstione est. Et hoc quidem alibi a nobis demonstratum est fusissimè, & omnia ea refutata, quæcunq̃ ab aduersariis afferri potuerunt. Nunc, quomodo Graverus, Spiritum sanctum Deum æternum probet videamus accuratè. Omittimus autem illa, quæ thesi sexta scribit Graverus; nempe quæ sit nostrarum ecclesiarum de certis religionis Christianæ particulis sententia, hoc enim ad rem nihil facit. Hoc unum addam, Graverum injuria hoc ægrè ferre, quòd nostri libri in Germania alicubi reperiantur. Hac enim ratione causæ suæ diffidere videtur, quæ scilicet consistere nequeat, nisi omnes libri, quibus, contraria sententia defenditur, exterminentur. Quæ certè nova papalis Tyrannis est, quâ eos, qui se a papa liberos esse gloriantur delectari dolendum inprimis est. Nos verò dolumus tam serò & rarò libros aliorum ad nos pervenire, & nihil dubitamus, quin hæc, quam profitemur veritas multò sit futura & nostris hominibus acceptior, & aliis commendatior, si, quæ aduersus eam prodeunt, Lutheranorum & aliorum scripta, legantur. Amat enim veritas lucem, & quò magis teritur, tantò magis odorem emittit & nitescit. Illud mirari subit, quare ad marginè thesis 7. quâ inprimis notandū esse ait, quod ad solam scripturam provocemus, ex eaquæ controversias dijudicari velimus: addiderit hæc verba, *Photinianorum fucus*, Ergo & Lutheranorum fucus est, qui ad solas sacras literas provocant, ex eaquæ controversias dijudicari volunt; nisi fortassis nos aliunde controversias dijudicari velle probet, quod nunquam faciet. Cæperam aliquid de Gravero magis sobrium quàm de aliis Lutheranæ sectæ hominibus, sperare, sed nimis citò spes mea dejectus sum. Nec videre etiam possum, quo sine literarum mearum, ante annos 20. hoc est, post ipsum meum in Poloniam aduentum, ad Theologum quendam istarum regionum datarum, meminerit. Nam quorum causâ allatæ esse videntur ea omnium ecclesiarum, quæ a papatu defecerunt, communia esse censenda sunt. Quæ verò verba ex literis istis meis a Gravero citantur, Nempè, *Si non responderis, respondere*

se non potuisse putavero, ea isto potissimum fine addita fuisse puto, nec enim literarum istarum autographum habeo, ut aliquam tandem ab istis, qui me ob religionem tum mutatam publicè damnare non dubitabant, responsionem extorquerem, quod tamen irritū fuit. Nam ad hoc usque tempus nihil ab illis omnibus literarum accepi, quod cur factum sit, miror. Id enim illius gentis scribendi Cacoëthes est, is controvvertendi pruritus, ut cum nulla est ad eam rem occasio, anxie etiam inquirere eam soleant. Nec porro ad alias theses est quod respondeamus, quibus Spiritum sanctum creaturam non esse, affirmat & probat Graverus. In hoc enim unâ cum illo facimus. Ad ipsam controversiam accedimus quæ est, *An spiritus sanctus ita sit Deus æternus ut sit distincta persona a patre.*, addo etiam a filio. Antequam verò ad ipsa argumenta

Graverus præposterè agit.

Quomodo dici possit Spiritū S. esse Deum.

Graveri accedemus, hoc monendum esse duximus, quod præposterè agat Graverus, qui prius docere annitatur, Spiritum sanctum appellari Deum, quàm doceat eum esse personam. Nam si constet Spiritum sanctum esse personam, jam necessariò etiam constaret, eum esse Deum; at non contra, etiam si constaret Spiritum sanctū appellari Deum, constaret, eum esse personam. Cum certo loquendi modo concedi possit, Spiritum sanctum appellari Deum, quo scilicet omnia, quæ in Deo sunt naturaliter, Deus esse dici solent. At nullo loquendi modo dici potest, Spiritum sanctum esse personam nisi omnia quæ in Deo insunt, personas a Deo distinctas esse dicere velimus. Sed sequamur Graverum. Is igitur, postquam liberaliter promississet, se probaturum, Spiritum sanctum Deum in sacris literis appellari, sic promisso stat *thesi 15.* quæ talis est.

Quod expressè Deus appelletur probatur evidentissimè ex Act: 5. v. 3. & 4. Thesi 16. Hic clarè videmus eum, qui v. 3. Spiritus sanctus appellatur v. 4. expressè Deum dici. Appello hic tuum, lector candide, iudicium. Argumento & Syllogismo ad ostendendum, quòd Spiritus sanctus Deus appellatur, utitur in sequentibus thesibus Graverus, eo quæ ut ipsemet ait, longè aliter reformato, quàm alii id ante eum formârunt. Quomodo igitur jure dicere potest, Spiritum sanctum expressè Deum appellari in sacris literis, nos verò admirari qui id negemus. Nam si expressè Deus appellaretur Spiritus sanctus quid argumento ad eam rem opus esset? Argumento quia opus est, expressè id alicubi dici, prorsus falsum est. Nam si expressè alicubi scriptum id extare censendum esset, oporteret talem locum adduci, in quo diceretur, Spiritus sanctus est Deus: Quomodo cum de Christo legitur, Sermo erat Deus, vel is, qui ex patribus oriundus est, est Deus, expressè de Christo scriptū esse confitemur, quòd sit Deus. An verò, quia Deus expressè appellatus est,

Lapsus Graveri

tus est, Deus ille unus sit, alia deinde nascitur quæstio & controversia. Hic quidem error in alio levis censendus esset: sed in Doctore Theologia, qui alios in errore versantes erudire sibi proposuit, vix est tolerandus. Nunc verò syllogismum ejusdem reformatum videamus. Is autem talis est, thesi 23.

Alia igitur forma adferenda, que hæc erit: Cuicumque tum temporis præter Apostolos mentitus fuit Ananias, is fuit Deus: Atqui Ananias tum temporis præter apostolos mentitus est spiritui sancto. Ergo Spiritus sanctus est Deus. Ut ut Syllogismum hunc reformaret Graverus, tamen, quia vitiosa prorsus materia illius est, fallacia illius & falsitas tegi non potuit. Neganda enim est tum maior tum minor. Instituit quidem Graverus probationem maioris, quæ qualis sit, mox videbimus: Sed interrim mirum est, cum de Minoris fallitate vel saltem incertitudine non cogitasse; cum nec verba, quibus Minorem Graverus concepit, in textu habeantur, nec ex illis, quæ ibi habentur elici ea possit. Si dicat Graverus eam haberi v. 3. in iis verbis, *Cur implevit satanas cor tuum, ut mentieris spiritui sancto, & interverteres de pretio prædii*, aliud hoc esse deprehendet, si verba græca inspexerit. Non est enim casus tertius dandi, ut habet latina versio quo v. 4. utitur Lucas, dum ait, *ὃν ἐψεύσω ἀνθρώποις ἀλλὰ τῷ θεῷ*, sed quartus, accusandi scilicet, *ψεύσασθαι σε τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον*, quæ verba converti debent, ut mentieris Spiritum sanctum, sensum autem longè alium præbent: quàm ea quæ v. 4. leguntur. Is enim Spiritum sanctum mentiri dici potest, qui præferet se habere Spiritum sanctum, cum tamen ipse sciat, haud ita rem se habere. Nec necesse est, ut postea de Anania, quòd personis mentitus sit, dicitur, sic etiam antea personæ mentitus dicatur. Egregiè enim ex eo, quòd Spiritum sanctum mentitus erat Ananias, per quamdam antanaclasin inferri potuit, Eum dum istam simulationem & fraudem animo concepit, non hominibus, qui erant Apostoli, solis imposuisse vel imponere voluisse, sed ipsi Deo, qui scilicet in Apostolis tunc erat. Quomodo etiã alibi dicitur. Qui rejicit (scilicet Dei voluntatem) non homines rejicit sed Deum, qui etiam dedit Spiritum suum sanctum in nobis, vel potius in nos.

Sed nunc videamus probationem Majoris. Sic igitur ait, Thef. 24. *Ratio Maioris est in promptu: Ananias suum scelus se facile occultaturum sperabat, si quidem sibi cum solis Apostolis tanquam nudis hominibus negotium esse opinabatur. Petrus autem respondet, Ananiam non Apostolis duntaxat; sed ipsi Spiritui sancto mentitum fuisse: ac ne rursus quis putaret, per Spiritum S. intelligi dona Spiritus sanctificantia, quæ fuerunt in Apostolis,*

*Negligentia
Graveri.*

De loco Act. 5.

*Quid sit Mentiri
Spiritum sanctum.*

1 Thef. 4. 2.

Apostolis, pergit Apostolus asserendo, Ananiam non hominibus, sed ipsi Deo mentitum fuisse. Quoniam itaque Apostolus non solum expresse negat eum, cui præter Apostolos mentitus fuit Ananias, fuisse hominem; sed etiam clarè pronunciat, eum fuisse Deum, & nemo ex textu proferri potest, cui præter Apostolos fuerit mentitus, nisi Spiritus sanctus, necessariò sequitur, eum, cui Ananias tum temporis præter Apostolos fuit mentitus, fuisse Deum. Ex quibus certitudo Majoris propositionis apparet. Verborum satis, rerum parum; nec facilè aliquis Syllogismum ex ista thesi confecerit, nec denique vim ejus percipiet. Nititur autem falsa loci explicatione, dum sumitur, Ananiam non Apostolis duntaxat, sed etiam Spiritui sancto mentitum fuisse, quod, aliter se habere, iam ostendimus. Deinde dato eo, quòd Ananias mentitus sit non tantùm Apostolis, sed etiam Spiritui S., quomodo hinc consequi dici potest, Spiritum sanctum esse Deum? Num ideo, quòd, postquam semel dictum fuisset, eum mentitum esse Spiritui sancto, iterum deinde dicitur, eum mentitum esse Deo? At hinc tantùm id sequitur, Ananiam mentitum esse tum Deo tum Spiritui sancto, non autem ullo modo, quod vult Graverus, eum, cui præter Apostolos mentitus sit Ananias, esse Deum. Quomodo verò utriq̃ue mentitus sit, investigandum porrò relinquitur. Mentitus est Spiritui sancto, quatenus Apostolis mentitus est, in quibus Spiritus ille degebat: Mentitus est Deo, quatenus is Spiritus qui in Apostolis degebat, non quidem Deus, sed Dei erat, & ita Apostoli non nudi homines sed divini erant. Atque ita apparet, non satis rectè dici, Ananiam præter Apostolos Spiritui sancto mentitum esse. Apostolis enim mentiens mentitus est Spiritui sancto. Is verò, cui præter Apostolos mentitus fuit, propriè loquendo est Deus ille unus, Spiritus illius scilicet autor & dator. Et hæcenus primum Graveri argumentum.

Sed & alio pacto argumentatur Graverus Thesi 25. *Quicumque locutus est per os Davidis & aliorum Prophetarum, is est verus & æternus Deus. Atqui Spiritus sanctus locutus est per os Davidis & aliorum Prophetarum. Ergo Spiritus sanctus est verus & æternus Deus.* Major & ineptè concepta & falsa est; Nec ex locis citatis probatur. Nam in illis tantùm dicitur, quòd is qui per os Davidis & Prophetarum locutus est, sit Deus ille æternus, vel potius tantùm dicitur, quòd Deus æternus sit locutus per os Prophetarum. At non dicitur, quod, quicumque locutus est per os Prophetarum, sit Deus æternus. Probatio Minoris ex Petro allata, pariter etiam falsa est. Nec enim dicit Petrus, Spiritum sanctum per os Prophetarum locutum esse. Sed ait Prophetas, a Spiritu S. actos, locutos esse. Potest autem aliquis loqui, actus a Spiritu S., etiam si ipse Spiritus S., a quo agitur, propriè non loquatur. Alia igitur firmamenta

*Vitiōsus argu-
menti Graveri-
ani.*

De loco 2 Pet. 1.

menta

menta huic argumento addenda essent, si modo addi possunt. Iam enim statuendum est, Graverum & optima argumenta & optimè firmata produxisse, quando quidem ad publicam nobiscum pugnam descendere cogitavit. Sensus autem horum & aliorum locorum est: Quod jam de Deo dicatur, cum locutum esse per os Prophetarum: jam de Spiritu sancto, Non quòd Spiritus sanctus sit ille Deus, sed quia est illius Dei Spiritus, & quodcumque per id, quod Dei est, aliquid fieri dicitur, jure id a Deo fieri dici potest. De Deo propriè, de eo quod Dei est, figuratè.

His duobus argumentis propositis Graverus, satis illis puerilibus, ad nostrorum exceptiones responsionem parat. Et primùm quidem meminit Gratiani Prosperi, qui utrumq; hunc syllogismum Graveri Elenchum Amphibologiæ continere ait. Mentiri Deo & Spiritui sancto ait significare, Mentiri Deo qui per spiritum suum locutus est (vel potius qui habitabat) in Petro, adducto loco ex 1 Thess. 4. quem etiam nos antea adduxeramus. Ad hoc verò dupliciter respondet Graverus. Primum ait Thesi 27. *Non nos Elenchum Amphibologiæ; sed ipse aduersarius Elenchum ἐτεροζήτησεως committit; hac vice nondum quæritur, cur & quomodo Spiritus sanctus dicatur Deus, sed an expressè in scripturis Deus appelletur, quod cum ostensum sit, subsistunt Syllogismi nostri.* At primùm parum est dicere nudè, si accuseris commissi Elenchi, te illum non commisisse, sed ostendendum erat, Elenchum istum non esse in ista argumentatione tua. Hoc nisi fiat, te id vel præstare non potuisse vel noluisse, suspicio manebit, quorum utrumque in eo, qui alios docendi provinciam sibi sumit, vehementer culpandum est. Deinde dum fallaciam ἐτεροζήτησεως aduersario objicit Graverus, ipsemet gravis quid quàm fallaciam designavit. Putavit enim concedi sibi ab aduersario, Spiritum sanctum Deum dici, interim rationes ab eo afferri, cur & quomodo sit Deus: Cum tamen aduersarius non doceat, cur Spiritus sanctus dicatur Deus, sed cur is, qui mentitur Spiritui sancto, dici possit mentiri Deo, tacitè negans Spiritum S. esse Deum. An verò ostensum sit a Graverò Syllogismis superioribus Spiritum S. Deum esse, judicabunt eruditi.

Lapsus Graveri.

Deinde respondet hoc modo Thesi 28. *Deinde in suâ explicati-
one committit Elenchum petitionis principii: nos enim literam secuti negamus verba Petri sic exponenda: sed contendimus, mentiri spiritui,
& mentiri Deo, hic efficere, quòd Spiritus sanctus sit ipse Deus: nec Paulus quicquam aduersarium iuvat, siquidem per spiritum sanctum in verbis Pauli dona spiritus sancti intelliguntur: in verbis autem Petri dona spiritus sancti non posse intelligi superius ostendimus. Mani-*

festum itaque in verbis Pauli intelligi Deum Patrem, ut taceam ejusmodi oppositionem & exclusionem in verbis Pauli non legi, qualis est in verbis Petri. An explicatio, quam contendit Graverus esse verborum Petri: Non hominibus sed Deo mentitus es, junctorum cum illis, quibus creditur dici, Ananiam mentitum esse Spiritui sancto efficiat, Spiritum S. esse Deū, ex iis quæ suprâ dicta sunt, judicium faciat lector. Nunc dico, admodū similia esse verba Pauli verbis Petri, quatenus scilicet ostenditur, dici posse, tunc aliquē mentiri non hominibus sed Deo, cū mentitur hominibus divino spiritu præditis, quemadmodum dicitur, illum spernere non homines, sed Deum, qui spernit homines divino spiritu præditos. Idem autē esse in verbis Petri, Mentiri spiritui S. si ita legatur ut vulgò, quod mentiri hominib⁹ divinis vel spiritu divino præditis, & per se constat, & suprâ etiā indicatū est. Quid est autē, quòd ait Graver⁹ ejusmodi oppositionem & exclusionem in verbis Pauli non legi, qualis est in verbis Petri? Oppositio enim in verbis Petri & exclusio quænam esse potest, præter hanc, non hominibus sed Deo. At hæc eadem habentur in Pauli verbis: Qui spernit, non homines spernit sed Deum.

Poriò postquā dixisset nos ita etiam ad argumenta sua respondere, quòd Spiritui S. talia, qualia Graverus recenset, & alia cōplura tribuantur, non quòd sit De⁹ persona a patre distincta, sed quòd sit virtus & efficacia Dei, respondet ille thesi 30. *Se hoc nō negare, sed ita ut simul sit Dominus & De⁹.* At non animaduereit Graverus, se dū non negat, virtutē Dei esse Spiritū S., negare tacitè, illum esse Dominum & Deum. Quomodo enim is Deus ipse esse potest vel Dominus, qui Dei vel Domini virtus est? Sed audiamus quomodo doceat Graverus Spiritum S. esse Dominum & Deum. Prætermisissis reliquis locis adducit locum unicum I Cor. 12, 4, 5, 6, Vbi nos interrogat, quid per Dominum intelligamus, & quid, si Deum patrem intelligamus, responsurus sit, ascribit. Sed temerè & frustra. Nos enim voce *Domini*, Christum intelligi, ut alibi ferè ubiq̃ue, sic etiam in hoc loco affirmamus. Christus enim est unus Dominus noster sub novo Fœdere. Quamquam id, quòd si per Dominum, Deum patrem intelligamus, infert Graverus, ineptissimè infertur. Ait enim, *si dixerint Deum ipsum intelligi, ego hinc colligo, etiam Spiritum S. Dominum hic & Deum appellari, Quicumque autem & Dominus & Deus appellatur, is non est proprietatis essentialis duntaxat sed persona subsistens, siquidem nullibi scriptum legimus, vel de bonitate vel iustitia Dei, quòd sit Dominus.* Facile est & liberum dicere *Ego colligo*, at quo jure id fiat vel fieri possit, docendū erat. Quæ verò vel similitudo rationis consequentiæ: Dominus apud Paulum significat Deum ipsum, Ergo hinc colligetur, Spiritum sanctum Dominum & Deum appellari? Videat

Sub voce *Domini*
plurimūque
Christus intelli-
gitur sub novo
Fœdere.
I Cor. 3. 6.

igitur Graverus, qualis sit disputator: Videat etiam cordatus lector, quo jure dicat, *Hoc Socinus si perpendisset, suam dissimilem similitudinem de principe seu divite viro, varia per eandem liberalitatem donante, nobis non opposuisset.* Habuisset (si Deo placet) Socinus quod perpendere; & quod cum ab ista sua similitudine deterreret. Me verò istarum pudet ἀσχυλογίσων argumentationum.

Sed si per Deum intelligatur Christus, quærit ex nobis. *Thesi 32. Graverus, Cur Dominus ut persona peculiaris a Deo patre hic distinguitur, & non simul spiritus operans? Responso facilis est; Quia is, qui Dominus est, persona est, idèd ut persona a patre distinguitur: Spiritus verò sanctus, quia persona non est, idèd etiam non ut persona distinguitur.* Ridebit fortasse vel indignabitur Graverus, dum hoc leget: Sed iterum se recolliget credo, si considerabit, ad talè interrogationem responsum aliam dari non potuisse. Quam vana etiam & puerilis sit gloriatio Graveri, dum ait: *Quoquomodo adversarii hunc locum interpretentur (priorem tamen ut plurimum retinent) non parum nostra sententia stabilitur, verbis vix exprimi potest.* Estnè aliqua verisimilitudo in eo, quòd, si per vocè Dominus, vel Deus vel Christus intelligatur, hinc stabiliatur sententia ea, quòd Spiritus S. sit Dominus & Deus? Scopæ sunt dissolutæ omnia, & digna exhibitione potius quàm refutatione.

Illud autem unde habet Graverus, quod priorem modum ut plurimum retineamus, hoc est, quod per dominum, Deum ipsum intelligamus. Exponat locum, nisi falsum dixisse censeat; ego enim nunquam id a quoquam nostrum dictum esse persuasum habeo: vel si aliquis unquam fuit, qui id de patre intelligeret, falsum tamen manebit, nos ut plurimum priorem modum retinere. Tyronem se agnoscat Graverus in controversiis cum nostris cæribus agitandis, quas hæctenus alii, quibus cum vivimus, multò accuratius tractarunt, & tamen nihil profecerunt nec proficere poterunt. Vinci enim veritas nescit.

Sed ulterius sententiam suam ostendere conatur Graverus. Ait igitur *Thesi 33. Spiritum sanctum non solum in actionibus, a Deo Patre ut proprietatem essentialem, sicuti Socinus, loco allegato, contendit: sed tanquam distinctam & subsistentem personam hinc evidentissime apparet: quia Matth. 28. v. 19. distinguitur a Patre & Filio, tanquam tertius.* Vbi priusquam respondeamus, monendus est lector, Graverum, pro eo, quod docere debebat ulterius, Spiritum sanctum esse Dominum & Deum, Hoc enim thesi 32. proposuerat his verbis, *quod ulterius sic ostendo, jam aliam thesin proponere, nempe Spiritum sanctum esse distinctam & subsistentem personam.* Quod Graverus præsumptum erat non mihi, ut lectori consuleretur. Nunc autem nego, quòd Spiritus

*Interrogatio
Graveri ridicula.*

Gloriatio Graveri vana.

Castigatio Graveri.

*Spiritus sanctus
distinguitur a
Patre & filio ut
tertium quid.*

A&T. 20.
Phil. 3.
Eph. 6.

*Negligentia in-
gens Graveri.*

*Graveri verba
& sensum no-
strum mutat.*

*Inepta responsio
Graveri.*

*Quando leges
disputandi ob-
servanda.*

sanctus distinguatur Matth. 28, a patre & filio ut tertius, potest enim distingui ab illis ut tertium quiddam; quemadmodum alibi, quando unâ cum Deo, sermo gratiæ illius conjungitur, vel cum Christo, vis resurrectionis illius, aut cum Domino, potentia virtutis illius, sermo gratiæ Dei, & vis resurrectionis Christi, vel potentia virtutis Domini, non distinguitur, ut alter a Deo, Christo & Domino, sed ut alterum.

Ait Graverus, thesi 34. nos in Catechesi majori respondere, *Spiritus sancti idcirco peculiarem mentionem fieri, propterea quòd sermo sit de ejusmodi rebus, quæ fideles concernunt, quasque tantum per Spiritum sanctum & per nullam aliam potentiam efficiat.* Sed notanda primum est magna Graveri negligentia. Hæc enim, quæ hîc ascripsit, non habentur in Catechesi nostra allata ad locum Matth: 28., ex quo Graverus argumentari cepit, sed ad locum I. Cor: 12. ubi scilicet separatim Spiritus sancti tanquam operantis, a Patre & Filio fit mentio. Quæ nostra responsio non ita quadrat ad locum Matth: 28. Ibi enim nullius operationis Spiritus sancti fit mentio, sed tantum baptismi in illum, qui baptismus in Spiritum sanctum, si explicandus sit, longè alium requireret sensum, atque is est, quem hic ascripsit super locum I. Cor: 12. Graverus. Deinde verò verba nostra & sensum immutat Graverus. Nos dicimus Spiritus sancti mentionem separatim fieri, quòd de ejusmodi rebus I. Cor: 12. agatur, quæ ad solos credentes pertinent, quas Deus non alia virtute sua, quàm per Spiritum sanctum operetur, de unius generis rebus agi affirmantes, nempe de iis, quæ ad solos credentes pertinent, quas Deus non alia virtute sua quàm per Spiritum sanctum efficiat: Graverus verò, addita ad vocem *Quas*, particula *quæ*, ita nos loquentes facit, ac si de duplicis generis rebus loquamur. Nempe & de iis, quæ solos fideles concernunt, & de iis quas Deus per nullam aliam virtutem, quàm per Spiritum sanctum operatur. Taceo, quod omissa voce *Deus*, in recitanda nostra explicatione, sensum prorsus obscuravit. Hæc etsi levia sint, non debuisse tamen a Doctore Theologo committi, qui vis confitebitur, qui quanta cum diligentia & fidelitate res sacræ tractari debeant, intelligit.

Porro in hac responsione nostra principium peti ait Graverus. Hoc verò quomodo verum esse potest, si ad propositum locum verba hæc non faciant? Et ut maximè facerent, ineptissimè tamen hoc diceretur a Gravero. Nos enim, dum aliquid de loco quodam dicimus, sententiam tantum dicimus, quam liberum est non admittere, nec tunc disputandi legibus restricti sumus. Hæc enim tunc demum observanda sunt, cum quis vel ipsemet argumentatur & aliquid objicit, vel cum argumenta aliorum refellit. Qui verò locum etiam explicat, is jam di-

spulatoris

sputatoris personam deponit, & præter id, quod debebat, addit aliquid, quod ad erudiendum lectorem facere possit. Quod licere tunc, cum Catecheses scribuntur, omnes, puto, intelligunt. Ostendat Graverus, nos tunc, cum vel argumentamur, vel refutamus aliquid, principium petere, si jure nos ita accusare velit: non tunc verò dicat, id nos facere, cum refutatis adversariorum argumentis, quæ ex certis locis necant, locorum etiam explicationem ex mente nostra, addimus, nec dicat, nos id nulla verisimili ratione probare, quod dicimus. Hoc enim ut faciamus, nihil nos cogit. Etiam si enim tandem falsum sit, quod de loci alicujus sensu dicimus: tamen propterea verum non esset, quod ex loco illo deducitur ab adversario.

Quando principium petatur,

Sed iterum sic contrà argumentatur Graverus thesi 35. *Vt Filius hic à Patre distinguitur, ita & Spiritus sanctus. Sed Filius ut Persona. Ergò etiam Spiritus sanctus.* Probet majorem dominus Doctor. Ut enim personæ diversæ, & res cum personis conjunguntur, quod paulò ante docuimus; ita etiam diverso modo personas a personis, & res a personis distingui posse sana docet ratio.

Sed contrahit rem Graverus, sic enim ait thesi 36. *Et quid multis? Spiritus sanctus Matth: 3. v: 16. peculiariter & alia ratione, quam Pater revelatur in Baptismo Christi, ita ut de spiritu sancto dicere queam, illum in specie columbæ descendisse, de Patre verò cum scripturà id asserere non possim.* Sed hinc nec Deum, nec personam esse spiritum sanctum concludi potest. Nec enim (ut hic ea repetam, quæ alibi a nostris scripta sunt) verba illa *sicut columbam* ad ipsius rei essentiam referri necesse est, ut scilicet hinc inferre liceat, sicut columba est res animata, sic spiritus sanctus est res animata, & sic cum res divina sit, etiam persona, sed referri debet ad externam speciem & modum, idque non ipsius rei, sed descensus illius. Idque idem de loco etiam Luc: 3. sentiendum est. Nam si dicere voluisset Lucas, spiritum sanctum in forma columbæ apparuisse, certè non *tanquam columba*, sed, *tanquam columbæ* dixisset. Vnde apparet voeulam *tanquam*, seu, ut Vulgata habet editio, *sicut*, voci columbæ junctam, tum ad verbum *descendere*, vel participium *descendentem*, referendam esse, tum etiam columbini descensus, non autem columbini corporis similitudinem declarare. Verisimile enim alioquin etiam est, istam corpoream speciem seu formam (in Græco est *εἶδος*) in qua spiritus sanctus in Christum descendit, non vulgarem fuisse, & in qua nihil divini necessariò conspiceretur, qualis est forma columbæ, sed planè singularem & miraculi plenam. Denique si concedatur, spiritum sanctum descendisse in forma columbæ, num pro-

Quid sit, Spiritus descendit sicut columba.

pterea vel spiritus sanctus erit columba, vel columba persona? Apage istas conjecturas si rigidas.

Sed rigidius nos aggreditur Graverus, sic enim ait thesi 37, & 38. Expediant itaque se hic Photiniani, quod nimirum spiritus sanctus non solum dicitur spiritus Patris, Matth: 10. v: 20. Rom: 8. v: 11. sed etiam spiritus Christi Gal: 4. v: 6. Rom: 8. v: 9. imò in Prophetis Christi spiritus fuisse dicitur 1. Pet: 1. v: 11. & tamen ὁμοσίου Patris & Filii concedere nolunt.

Thesis 38. est, Si spiritus sanctus nihil aliud est, quam virtus & efficacia Dei Patris, & de ipsa essentia Patris, ut adversarii in locis iam saepius citatis, volunt, ac spiritus sanctus etiam Christi spiritus dicitur, sequitur necessarid, quod etiam efficacia & Virtus Dei Patris sit efficacia & virtus Christi, & per consequens etiam essentia Dei Patris sit essentia Filii, siquidem proprietas Dei essentialis est ipsa essentia Dei, & posita proprietate rei, ponitur res ipsa. Ex quibus syllogismum talem format thesi 39. conceptum. Syllogismus hic erit: Cuicumque tribuitur spiritus sanctus, eidem tribuitur virtus & efficacia Dei Patris: quia iuxta adversarios spiritus sanctus nihil aliud est, quam virtus & efficacia Dei Patris. Atqui Christo tribuitur spiritus, Ergo & virtus & efficacia Dei Patris. Et iterum thesi 40. Rursus: Cuicumque tribuitur virtus & efficacia Dei Patris, eidem etiam essentia Dei Patris, ob causam thesi 38, allatam, Atqui Christo tribuitur virtus & efficacia Dei Patris. Ergo etiam essentia Dei Patris. & 41. Porro: Cui tribuitur essentia Dei Patris, is etiam est unus idemque Deus cum Patre. Christo tribuitur essentia Dei Patris. Ergo est unus idemque Deus cum Patre. Vide conatum Graveri lector, sed & a proposito alienum, & valde infirmum. Ceperat enim de spiritu sancto, nunc definit in Christo Iesu, quem ὁμοσίου Patri esse conatur ostendere. Sed rem videamus. Fatemur spiritum sanctum dici & Patris & Filii, sed eodem profus modo spiritum sanctum Filii esse dici, quo Patris, hinc nullo modo inferitur, & est insignis Figuræ dictionis fallacia. Dei enim Patris est spiritus sanctus, quia ab illo naturaliter procedat vel proficiatur. Christi verò dici potest, vel quia Christus eo præditus fuerit, vel quia de ipso testatus sit, vel denique quia ipse etiam eundem det & largiatur, datum scilicet sibi & concessum a Patre. Exaltatus enim Christus, & accepta promissione Patris, effudit illum in Apostolos: & tempus erat, cum spiritus sanctus non daretur, Quia Iesus nondum esset glorificatus. Quod de Deo Patre non sine blasphemia dici aut cogitari potest. Is enim naturâ suâ & a seipso semper habuit potestatem largiendi spiritum sanctum. Vnde, ὁμοσίου Patris & Filii, ex eo, quod spiritus sanctus sit & Patris & Filii, concludi nullam posse, puto ipsa

Cur spiritus sanctus Dei & Christi spiritus dicatur.

Act: 2.

Ioh: 7.

puto ipsa meridiana luce clarius esse. Syllogismos videamus etiam. Primum concedimus. Nempe Christo tribui virtutem & efficaciam Dei Patris. Secundi majorem negamus: quæ est, *Cuiusque tribuitur virtus & efficacia Dei Patris, eidem etiam essentia Dei Patris.* Causam thesi 38. allatam affert pro probatione Graverus, ea est: *Quia proprietates essentialis est ipsa essentia Dei, & posita proprietate ponitur res ipsa.* Hanc tollimus distinctione. Duplici enim modo ea, quæ Dei sunt, considerari possunt, vel quatenus naturalia & essentialia Deo sunt, vel quatenus extra Deum sunt, & quasi emanarunt ex illis Dei naturalibus & essentialibus. Priori modo tribui nemini possunt. Ut enim essentia Dei numero una est, & cum nemine communicatur, sic etiam essentialia proprietates. Posteriori verò aliis etiam tribui posse, vel hinc apparet, quod non minus Dei proprietates essentialis sit, sapientia, beatitas, immortalitas, & tamen ea cum aliis communicata & communicanda esse extra communicationem essentia nemo dubitare potest, nec dubitat.

Quæ Dei sunt, duplici modo considerari possunt.

Iterum nostram affert exceptionem & ad eam suam responsionem thesi 42. dum ait. Sed excipiunt Photiniani: *Spiritum sanctum dici spiritum Christi ratione missionis. Rectè: at non tantum: si enim equalis Deo Patri Christus non est per omnia, jus mittendi spiritum sanctum non habuit, siquidem minor potestatem mittendi maiorem non habet. Et quia mitti spiritum sanctum Christus, sequitur etiam, quod æquè sit ipsius spiritus atque Patris. Si igitur est virtus & efficacia Patris. Ergo etiam Filii, quod tamen illi nolunt. Sed nec exceptionem nostram benè exprimit; nec responsionem firmam affert. Nos enim dicimus, spiritum S. Christi spiritum appellari; vel quia Christus illo præditus fuerit, vel quia de Christo testatus sit, vel quia Christo a Patre datus & postea quæ ei datus fuit, missus ab illo fuerit. Vnde constat, non eadem prorsus ratione dici spiritum Christi, quæ patris. Hi enim omnes modi Deo patri minime competunt. Responsio verò Graveri quàm infirma sit, perpende lector. Rectè ait, at non tantum &c. Si spiritus sanctus ideo Christi est, quia Christus eum habuit & quia eum Christus a Patre accepit & deinde misit; quomodo æquè erit spiritus sanctus Christi ut patris? quomodo hinc ὁμοῦσία eorundem constabit? Non est autem necesse, eum per omnia Deo patri æqualem esse, nempe quoad essentiam etiam; qui potestatem spiritum sanctum mittendi habeat. Cum enim essentia Dei numero una sit, nemo in ea Deo æqualis esse potest, & æqualitas in essentia, & unitas numero essentia, contradictoria sunt: sed satis est æqualem esse Deo, certo modo, illum qui spiritus sancti potestatem habeat, præsertim si consideretur, quod supra dictum est, spiritum sanctum considerari posse non tantum, quatenus est in Deo naturaliter, sed qua-*

Graverus male exceptiones concipit.

Graveri infirma responsio.

Æqualitas cum Deo in essentia & unitas essentia contradictoria sunt.

*Calumnia Gra-
veri.*

sed quatenus extra Deum est, qui illum vel de illo, pro libitu suo communicare cum aliis potest, ut alias suas proprietates vel de aliis suis proprietatibus; Turpissima autem est ista illatio Graveri, dum ait: *Si igitur est virtus & efficacia patris, Ergo etiam Filii, quod tamen isti nolunt.* Non enim nisi per calumniam dici potest, nos nolle, Spiritum sanctum esse virtutem & efficaciam Filii, Non negamus esse virtutem & efficaciam Filii Spiritum sanctum, sed negamus, prorsus eodem modo Spiritum sanctum esse virtutem & efficaciam Filii, quo est Patris, ob causas paulo ante allatas.

Sentiens Graverus se a re & quaestione proposita nimis digressum esse, reverti se ad principalem quaestionem, & Spiritum sanctum ut personam subsistentem distingui a patre, clarissime ait thesi 43. testari verba Ioh. 14. v. 16. *Ego rogabo Patrem, & alium πᾶρά κληθῆναι dabit vobis.* Ioh. 15. v. 26. *Cum veneris advocatus ille, quem ego mittam vobis a patre (Spiritus ille veritatis, qui procedit a patre) ille testabitur de me.* Hinc quia Spiritus sanctus, ut alius & quidem ut paracletus, a patre & filio distinguitur, & quia a patre procedere dicitur, & ut tertius expressè distinguitur a patre (sic habet Graverus, quasi scilicet tertius ab uno distingui possit) non proprietatem eum Dei essentialem, sed personam distinctam esse infert, & tandem his præmissis syllogismum addit thesi 47. quem *invictum* esse ad marginem addit: *Quicumque ut persona subsistens & a patre distincta non est creatura, is est Deus creator. Atqui Spiritus sanctus ut persona subsistens & a Patre distincta non est creatura, ut hactenus ostensum. Ergo Spiritus sanctus est Deus creator.* thesi 48. *Rursus: cuicumque ceu personæ tribuuntur ea, quæ soli Deo sunt propria ille est æternus Deus. Spiritui sancto ceu personæ tribuuntur ea, quæ soli Deo sunt propria. Ergo Spiritus sanctus est Deus.* thesi 49. *Major propositio nulla instantia everti potest. Minor patet ex præcedentibus. Nam Spiritui sancto tribui ea in sacris literis, quæ soli Deo sunt propria, ipsi adversarii largiuntur. Tribui autem Spiritui sancto ceu personæ & quidem a patre distinctæ, paulo ante demonstravimus.* In quibus quantum roboris sit, videamus, Spiritum sanctum consolatorem & alium a Christo consolatorem appellari & a patre procedere, & ut tertium quid considerari, concedere possumus, sed id tamen non evincit eum esse personam, nempe divinam; posse enim de re, per Metonymiam, vel profopopœiam id dici, quod de persona, nemo est qui nesciat: Nonne enim David dicit: *Virga tua & pedum tuum ipsa me consolata sunt.* Quod verò consolatur, quomodo non possit dici consolator? Vox porro *alius* non ad denotandam aliam personam, sed aliud quid, quod Apostolis ad futurum loco Christi erat, addita est; quâ, licet figuratâ, multo rectius & elegantius id,

Psal. 29.
 Spiritus sanctus
 consolator im-
 propriè.
 Cur alius conso-
 lator dicatur Spi-
 ritus sanctus.

eius id, quod res est, exprimitur. Hoc modo loquendi, posset pater a filiis suis parùm res suas curantibus, discessurus, dicere illis, fore ut, nisi res suas curent, alius Magister veniat, paupertas scilicet, qui eos sit docturus, quomodo se gerere debeant. Et huc pertinet etiam illud, quod thesi 45, pro obseruatione quorundam addidit Graverus, quòd loco Spiritus sancti quæ vox Neutrius generis est, ponitur ἐκείνῳ. Masculinū, unde colligāt isti hīc personam denotari. Eādē enim sermonis figurā, quā Spiritus sanctus, alius dici potest, per nomen etiam masculinum describi potest. Vox verò procedendi vel emanandi tantum adest, ut personam arguat, ut potius contrarium inde colligatur. Non enim persona a persona naturaliter perpetuo & indefinenter aut etiam sæpe aut subinde procedere seu emanare potest, qualem certum est processionem istam Spiritus sancti a patre esse, id quod etiam indicat verbum ipsum præsentis temporis, *procedit*: sed res a personis ratione ista emanant, ut habetur Matth. 7. v. 15. ubi idem est verbum quod in loco isto Iohan. Quod ad locum 1 Ioh. 5. attinet, mirum est illum a Gravero adductum fuisse, cum in Lutheri Bibliis prorsus sit omissus, & aliunde constet eum corruptum esse. Sed quid non jubet desperatio? An, cipitem captat gladium, qui mergitur undis. Iam verò admissio isto loco, quomodo videre non potuit Graverus, ibidem de aqua sanguine & spiritu etiam dici & *hi tres*, & ita introduci, ac si sit *primus, secundus, tertius*, cum tamen ne unum istorum persona sit. Ita sunt dissolutæ præmissæ. Iam v. Syllogismus iste inuictus sponte sua concidat necesse est. Minorem enim quā maxime nititur, quæ est: *Spiritus sanctus ut persona subsistens non est creatura: & Spiritui sancto ceu personæ tribuuntur ea quæ soli Deo sunt propria*, veram esse nec hætenus ostensum est, nec ostendi unquam poterit. Atque ita finis est probationum Graveri.

Nunc nostras obiectiones diluendas sumit. 1. est quæ thesi 5. continetur, *Spiritus sanctus est in Deo naturaliter. Ergo non est persona*. Antecedens probatur, eo, quod Paulus ita Spiritum Dei in Deo esse ait, ut est spiritus hominis in homine. Spiritus autem hominis in homine est naturaliter. Ratio consequentiæ est, *Quia persona in persona esset naturaliter idque non reciproce. nec enim ita Deus in Spiritu sancto esse dici potest, quemadmodum spiritus in Deo est*. Responsio Graveri est thesi 52. *Partim elenchus causæ, partim petitionis principii, partim ἑμωυμίας. Quæ ratio consequentiæ? Spiritus sanctus est naturaliter in Deo. Ergo non est persona?* Tres nominat fallacias Graverus, quomodo verò a nobis committantur in argumento, ostendere neglexit, quàm rectè iudicent lectores. Refutationem argumenti nostri videamus, quæ habetur thesi 53. *Dices: Persona non est naturaliter in persona. Re-*

Cur Spiritus sanctus per vocem ἐκείνῳ describatur.

Persona non procedit vel emanat ab aliquo.

De loco 1 Ioh. 5.

spondeo principium petis, Pater naturaliter est in Christo, & Christus in
 Patre, ut in prioribus disputationibus ostensum. Confundunt aduersarii
 personas creatas cum increatis: Illarum hæc est conditio, ut una in alterâ
 naturaliter esse nequeat: harum verò, non, quia una numero est essentia in-
 finita trium personarum, ideoque una in altera naturaliter esse potest. E-
 gregia sanè refutandi obiectiones ratio. Ei, qui rationibus iisque tali-
 bus, quas semper alicui, quod vocant, principio superstruit, agit,
 obijcere petitionem principii, quid verò se fiat, non considerare. Si
 persona in persona non est naturaliter, quod in creatis rebus concedit
 Graverus, quomodo is principium petit, qui ex eo probat, Spiritum
 sanctum non esse personam, quia in Deo, qui persona est, extra omnẽ
 controversiam, sit naturaliter. At aliter se habent res increatæ & crea-
 tæ, dicit Graverus. Esto, non tamen petit principium is, qui a rebus crea-
 tis argumentum sumit ad increatas, etsi fortasse tandem fieri posset,
 ut ea in re erret. Sed præterea quid ineptius est, quàm si quis verum esse
 neget in rebus increatis, quod verum est in creatis. Ergò alia est na-
 tura personæ divinæ, alia humanæ, & non tam est essentia individua in-
 telligens, & ut alii addunt, non sustentata in alia, divina persona, quàm
 humana? O miserabilem Graveri Theologiam. Dum verò ait, patrem
 naturaliter in Christo esse & Christum in patre, idque ided, quòd una
 numero est essentia infinita trium personarum, videat ipsemet Graverus,
 an non turpissimè principium petat, Christum in patre & pa-
 trem in Christo esse naturaliter, vel personam patris in Christo, & Chri-
 sti personam in patre esse, crassa est ignorantia: Vnam verò numero es-
 sentiam esse trium personarum, contradictionẽ etiam implicat. Quod
 enim tribus commune est, unum numero esse nequit, & vice versa, Et
 tamen hæc pro solutione argumenti nostri afferre Graverus non dubi-
 tavit. Quid verò sit, Christum in patre & patrem in Christo esse, ex iis
 sacris locis intelligi potest quibus Deus in fidelibus & fideles in Deo
 esse dicitur. Quia scilicet Deus spiritu & favore suo hominibus adsit,
 & homines cum illo conjuncti sint, ut disertè etiam loquitur D. Ioh.
 dum sic ait: *Et servans mandata ejus, in illo manet, & ipse in eo manet, &
 in hoc scimus, quod manet in nobis, de spiritu, quem dedit nobis.*

Qui rationes fir-
 mas affert, prin-
 cipium non petit

Ignorantia Gra-
 veri.

Graverus prin-
 cipium petit,

Ioh. 3. 24.

Graverus crasse
 principium pe-
 tit.

Similis est huic & altera responsio, quæ habetur thesi 54. *Spiritum
 sanctum autem non esse ipsum Deum, propterea quod est spiritus Dei, non
 sequitur: nam sicuti Christus est Filius Dei, & tamen ipse Deus, ita etiam
 spiritus sanctus Dei spiritus dici potest, & tamen ipse Deus: nam voca-
 bulum Deus, aliquando sumitur ὁ θεός, aliquando ἡ πρὸς τινός.* Quid
 est principium petere si hoc non est? Nos negamus & argumentis ha-
 ctenus validissimis demonstramus, Christum non esse illum unum De-
 um, &

um, & tamen nobis respondet Graverus, Christum etiam si Dei sit, esse tamen ipsum Deum, & ita Spiritum etiam sanctum, etiam si Dei Spiritus sit, tamen esse ipsum Deum. Ergo potest aliquis esse sui ipsius filius, & sui ipsius spiritus? Ista verò vocabuli De^o. jam *δὸς ἰωδ' ὧς* jam *ὑποστατικῶς* acceptio, nonné commentum est humanum, quod nisi demonstretur prius ex sacris literis, sola negatione jure rejici potest?

Ad locum 1 Cor. 2. respondet etiam thesi 55. *Alia verò, inquit, est ratio, cum spiritus hominis dicitur esse, & tamen non ipse homo. Comparatio namque ulterius se non extendit, quàm quatenus spiritus hominis naturaliter non est extra hominem, & quatenus novit ea, quæ sunt hominis. Si quis ulterius urferit comparationem illam Paulinam 1 Cor. 2. v. 11. Omne simile etiam dissimile esse dicemus.* Omne simile dissimile etiam esse posse, libenter confitemur, sed tamen nisi aliqua in re sit simile, similis nomen tueri nequit. Et satis habemus ad obtinendum quod volumus, quod ipse Graverus ait, comparationem in eo esse, quòd spiritus hominis naturaliter non sit extra hominem. Hinc enim inferimus. Ergo etiam Spiritus Dei naturaliter non est extra Deum, sed in Deo. Si verò Spiritus sanctus non est extra Deum, ita ut non est extra hominem spiritus illius sequitur Spiritum Dei non esse personam, quemadmodum spiritus hominis persona non est.

2. Obiectio nostrorum est. *Spiritus sanctus est donum Dei, Deus autem donum Dei non est, alias quempiam se superiorem haberet, cujus donum esset.* Responsum Graverus ad sextam quæstionem differt. Ergo & nos illius examinationem.

3. Obiectio nostrorum est. *Vna tantùm est persona divinitatis. Nempe pater. Ergò spiritus sanctus non est persona divinitatis.* Responso Graveri est. thesi 58. *Antecedens ut falsissimum negamus. Petunt itaque adversarii principium in hac ratione. Quod unam essentiam in tribus realiter distinctis personis esse non posse objiciunt, superioribus disputationibus dispulimus.* Principium non petimus. Nam rationibus & testimoniis verum esse docemus, unam tantùm personam divinitatis esse. Quia scilicet tantùm una sit numero essentia divina. Multiplicatis autem personis, essentiam etiam multiplicari necesse esse, cum una quæque persona divina, sit essentia divina individua intelligens. Quòd verò remittimur ad alias Graveri disputationes nos etiam ad alias ea de re disputationes nostras eundem relegamus.

4. Obiectio nostra est, thesi 59. *Tribuuntur ea Spiritui sancto quæ personæ tribui nequeunt, veluti, quòd detur & de ipso detur, idque secundum mensuram vel absque mensurâ, quòd effundatur, & quòd de ipso effundatur, quòd homines ipso potentur, quòd augeatur, duplex detur, quòd in par-*

res dividatur, quòd accipiatur, de ipso accipiatur, quòd quandoque non sit, & quòd extingatur. Responsio Graveri est. *Optimè hæc personæ tribui possunt, non quidem propriè; sed per metalepsin causæ pro effectu: ratione donorum namque hæc Spiritui sancto tribuuntur, quatenus ea in hominibus operatur.* Sed nihil respondet Graverus. Nullus enim loquendi modus, nulla figura patitur, ut de persona prædicetur, quod rei tantum convenit: patiuntur autem loquendi modi figurati, ut id de re prædicetur, quod personæ est proprium, Nimirum vel Metonymia vel prosopopœia, quam utramque frequenter admodum in sacris literis occurrere, quis nescit? Addit denique & hoc thesi 61. *Quodsi adversarii admittere noluerint, ex plerisque dictis, nec spiritum sanctum Dei virtutem & efficaciam esse contra ipsos facillime probabo.* Sed jam ad hoc responsum est supra, dum docuimus, virtutem & efficaciam Dei, quatenus est essentialis in Deo, non dari, sed ex illa effectus varios produci a Deo, & in homines effundi pro divina voluntate.

QUÆSTIO SECUNDA, quæ est: *An spiritus sanctus tam a Filio quam a Patre procedat*, quanti sit momenti vel hinc iterum apparere potest, quod sponte sua Graverus fatetur, thesi 3., id *ἐν τῷ* in sacris literis non legi. Sed nec per bonam consequentiam id probari posse certum est. Nam spiritus sanctus alia de causa, vel aliis de causis spiritus filii dici potest, quàm quod ab eo procedat, quas supra etiam annotavimus, vel quia de Christo testatus sit in prophetis, licet illis a Deo datis esset, vel quia Christus illo etiam prædictus fuerit, vel denique quòd Christus eum largiendi potestatem habeat. Possè autem aliquem largiendi spiritum sanctum (quod est mittere spiritum sanctum) potestatem habere, a quo tamen non procedat eo modo, quo a Patre procedit, comprobatur & ratio, & ipsa sacra scriptura, quæ Christum accepisse promissionem spiritus, & effudisse eum testatur. De Græcorum cum Romanis, & qui hæc in parte cum illis faciunt, circa hanc rem controversia, non est quod dicamus, ut ut enim rectius sentiât Græci, quàm alii, hæc in re, sunt tamen ita aliis intricati erroribus circa Christi personam, qui vix permittant, ut quòd rectè sentiunt, rectè etiam defendere queant: & rationes quas affert adversus eos Graverus, satis docent, quòd nisi in quibusdam erroneis conveniret illi cum Græcis, non habiturus fuisset, quo illos confutaret.

Tertia quæstio ridicula est. *An scilicet spiritus sanctus mittat Filium.* Nam & Græci, ex eo, quod nusquam extat, colligunt, spiritum sanctum a Filio non procedere: missio enim illa apud Esaiam, Domino non spiritui tribuenda est: & Graverus id, quod falsum est, quod scilicet spiritus sanctus Christum miserit, concedit, ut quomodo alterum errorem,

errorem, qui est, *quod Spiritus sanctus sit major Christo*, defendat, habeat: & denique errore uno alterum tuetur. Tam enim verum est id, quod ratione carnis assumptæ factum esse ait, quàm verum est, spiritum sanctum aliquem misisse. Ita fit, dum ab Evangelio semel aberratur.

Similis tertiæ, quarta est quæstio: *An rectè dicatur spiritum sanctum procedere a Patre per Filium*. Vbi enim semel erratur, ad sæpius errandum præcipitium est. Sententiam dixit Graverus, nos etiam nosfram dicemus. Procedit spiritus sanctus a Patre, quatenus ab eo tanquam a sua origine manat perpetuo & indefinenter. Procedit etiam a Christo, quatenus is potestatem eum largiendi habet. Procedit etiam a Patre per Christum, quatenus Pater nemini eum, qui a Patre originem habet, largitur, nisi per Christum. Ut enim Deus Pater est ex quo omnia, sic etiam Christus est, per quem omnia, adeoq; etiam spiritus ipse sanctus. Ita circa quæstiones ægrotare oportet eos, qui semel salutarem doctrinam deseruerunt.

Quinta porro quæstio, quæ est: *Utrum Pater & Filius sint unum principium, an verò duo principia spiritus sancti*; quàm sit inutilis, ex iis, quæ hæctenus diximus, & ex eo etiam, quod ad eam decidendam assumpsit Graverus, apparere potest. *Patrem & Filium*, ait, *esse unum spiratorem, propter unitatem virtutis spirativæ, quæ eadem est numero in utroque*. Et hoc iterum sic probat: *Sicut etiam non tres sunt omnipotentes, nec tres Dii, licet in tribus sit omnipotentia & Deitas, quia est numero eadem omnipotentia & Deitas*. Oblectent se contradictionibus, qui simplicem veritatis orationem averfantur.

Quæstio sexta est. *Utrum spiritus sanctus rectè dici possit Donum, nempe Dei*? Hic Graverus ait rationem Ostorodi, quam suprâ quæstione 1. asseripsimus, nullius esse ponderis. Nam eadem facilitate contra Ostorodum se conclusurum, spiritum sanctum non esse virtutem & efficaciam Dei, quia & illa dantem aliquem superiorem non habeat, cum sit ipsa essentia Dei, & addit, *Nihilominus Ostorodus fatetur, spiritum sanctum quem Deus filiis suis largitur esse de natura & essentia Dei*. Sed vitiosè concludit Graverus, spiritum sanctum non esse virtutem Dei, cum enim dicimus spiritum sanctum dari, non intelligimus dari, ipsam Dei essentialem virtutem, quam essentiam Dei nominat Graverus, sed ex illa virtute essentiali aliquid prodire, divino modo, credimus, quod cum hominibus communicatur, & ita etiam superior est is, qui dat illam virtutem & efficaciam, eo quod datur, quemadmodum is, qui donum dat, superior est ipso dono. Hoc ita expedito, pandit nobis mysterium Graverus thesi 3. dum sic ait: *Sciendum itaque, variis modis aliquid dici alicujus esse: aliquando dicitur esse per modum identitatis, & sic*

Graverus ver-
bos mutast.

is, & sic donum non distinguitur a dante (vide Thomam p: 1. quæst: 38. art: 1.) sed ab eo, cui datur, & sic spiritus sanctus dat se, sic legimus 1. Timoth: 2. v. 6. quod Christus semetipsum dederit pro nobis: & nihilominus Rom: 8. v: 32. Iohan: 3. v: 16. dicitur, quod Pater Filium dederit. Sed primum termini mutantur. Non enim nunc id quæritur, quomodo aliquid alicujus esse dicatur; & an id, quod alicujus esse dicitur, sit ille ipse, cujus esse dicitur, sed an donum alicujus possit idem esse quod is cujus est donum, hoc in quæstione versatur. Vnde constat, modum istum identitatis frustra huc allatum esse. Potest enim fieri, ut id quod alicujus est, dicatur esse is ipse, cujus est. Vt spiritus sanctus suo modo Deus esse idem dici potest, cujus est Deus. At id, quod donum alicujus est, illum ipsum esse, cujus donum est, nullus loquendi modus admittit. Itaque absurdissimum & seipsum destruens censendum est, spiritum sanctum dare seipsum, maxime cum non constat, eum esse personam. Rectè autem habet, quòd ad istas nugas asserendas nullum ex Apostolo aliquo, sed ex Thoma citaverit locum Graverus. Ergo Thomæ scholastico Theologo tantum tribuendum est, ut quod ratio & sacra literæ falsum esse docent, pro vero censeatur? Christum verò & semetipsum dedisse, & datum esse a Patre, quid huc pertinet, nisi constet, spiritum sanctum æquè esse personam, ut est Christus? Quanquam non de propria datione, qua scilicet aliquid alicui alii datur, & alius id a dante accipit, sermo est, cum de Christo dicitur, quod seipsum dederit, sed de datione in mortem, additur enim, qui dedit semetipsum precium redemptionis pro omnibus, quæ verba non sine dolo omisit Graverus, quod idem etiam de loco Ioh: 3. ubi Deus Christum dedisse legitur. Ratio enim ibi redditur, quare filium hominis ita exaltari oportuerit, ut serpentem Moses exaltaverat; quod de morte Christi intelligendum esse omnes fatentur. Rom: verò 8. 32. non dandi, sed tradendi vox est, quæ magis etiam, id quod nunc dicimus, confirmat. Dari, aut tradi Christus potuit, & etiam datus est, licet nemini datus sit, nec quisquam eum acceperit.

Statuendum est

Præterea ait thesi 4. Denique cum spiritus sanctus donum Dei dicitur, potissimum de salutaribus & sanctificantibus effectibus sermo est, ubi etiam ambiguitas vocabuli Deus, notanda est, quod quandoque essentialiter, quandoque verò personaliter accipitur. Huc scilicet recurrendum est, quando non datur aliò. At nos spiritum sanctum nullum dari affirmamus, qui non sit donum divinum, & qui aliud affirmat, is principium perit. Quemadmodum etiam ille, qui vocem Deus, quandoque essentialiter, quandoque personaliter accipi pronunciat, ut supra docuimus.

Quæstio septima: Vtrum spiritus sanctus sit major Christo? Ita a Graverq

Gravero deciditur, ut ipsius fert Theologia, spiritum sanctum majorem esse ait Christo, sed quoad humanam naturam, quomodo etiam Pater major est Christo. Sed hoc totum in errore fundatur, ut enim duæ naturæ in Christo commentum sunt, ita quicquid eorum respectu dicitur, non nisi error esse potest. Pater verò Christo, quantus quantus est, major est. Nam Christus totus ab illo dependet, omnia ab illo habet, & eidem etiam tandem regnum suum redditurus est. Spiritum sanctum quatenus datur majorem esse Christo homine, dici non potest, nisi constet spiritum sanctum personam divinam esse, quod falsissimum esse ex iis, quæ hæcenus dicta sunt, similiter constat. Itaque quæ de peccato in filium hominis & blasphemia in spiritum sanctum differit Graverus, vera quidem sunt, sed causam ejus nihil prorsus juvant, imo pessundant. Quemadmodum enim ex eo, quòd peccatum in Patrem commissum remittitur, blasphemia autem spiritus sancti non remittitur, concludi nequit, Patrem esse minorem spiritu sancto: sic nec ex illo, quòd peccatum in Filium commissum remittitur, blasphemia autem spiritus sancti non remittitur, concludi potest, Filium esse minorem ullo modo spiritu sancto.

Quæstio octava est. *An spiritus sanctus conceptionis Christi fuerit autor?* Hic ad Socini verba, qui semel ait, id, quòd Christus ex spiritu sancto conceptus fuerit, non ostendere, spiritum sanctum ejus conceptionis fuisse autorem, sed instrumentum, seu instrumentalem causam tantum, Et nihil vetare, quominus opus aliquod sit longè præstantius, quàm instrumentum, quo factum fuit, imò rarò aliter accidere; & alibi, refutaturus argumentum pontificiorum, qui, si Christus ob conceptionem sit filius Dei, quod nos affirmamus, dicunt, hac ratione Christum fore spiritus S. filium, ait, hanc rationem nihil valere, cum spiritus S. non sit persona, sed tantum virtus & efficacia Dei, aded ut idem sit spiritus sancti operam aliquid esse factum, quod virtutis & efficaciam Dei operam, ad hæc, inquam verba Socini cui etiam impietatem propterea Graverus objicere non puduit, concilianda, Graverus ait, non Davo sed Oedypo opus esse. Quid si nec Oedypo nec Davo opus sit, sed homine rerum Theologicarum medioeriter perito? Nam ut non ariolo, sic etiam nec stupido ad res divinas intelligendas opus est. Quid verò hic est vel per speciem repugnantiam, ut conciliatione aliqua opus sit? Dicitur semel, spiritum sanctum esse causam tantum instrumentalem conceptionis Christi, & iterum, dicitur spiritum sanctum esse virtutem & efficaciam Dei. An parum constat, virtutem & efficaciam Dei, posse esse causam instrumentalem alicujus operis? At ait Graverus: *si spiritus sanctus quando de Christi conceptione agitur, nihil aliud est, quàm*

virtus & efficacia Dei, non video, quomodo verum esse queat, quod Spiritus sanctus tantum sit instrumentum & instrumentalis causa conceptionis Christi, non video, quomodo Spiritus sanctus minor esse queat Christo, quin simul statuatur, Deum patrem etiam esse causam instrumentalem duntaxat conceptionis Christi. Imò quod pater ipse Christo sit minor, quod utrumque absurdum. Absurdum quidem hoc utrumque est, quod hic ascripsit Graverus, sed quomodo id ex eo, quod Socinus affirmat, consequatur, ostendendum erat, nec dicendum tantum, *Non video, non video.* Potest enim certè Spiritus sanctus causa instrumentalis conceptionis Christi dici, & ita minor esse Christo, nec tamen ullo modo hinc sequitur, patrem etiam causam fore instrumentalem conceptionis Christi, vel Christo minorem. Pater enim est, qui virtute sua pro libitu utitur, ita, ut ipse semper sit causa efficiens principalis, Virtus autem illius sit instrumentum illius.

At absurdum esse ait thes. 6. Graverus, *Deum per suas proprietates essentielles, & per virtutem seu efficaciam suam agere, tanquam per causam instrumentalem. Virtus enim & potentia Dei nihil aliud sunt, quam essentia Dei.* Sed jam hoc antea dissolutum est. Quia scilicet possunt ea, quæ Dei sunt naturaliter, & ita essentia ejus, vel potius de essentia illius sunt, alio etiam modo considerari, ut ab illo emanantia, & ita suo modo ab illius essentia separata. Quo sensu dicitur, Deum, potentia sua, tanquam instrumento usum esse in creatione mundi, in liberatione populi ex Ægypto, in resuscitando Christo ex mortuis. Quatenus igitur naturalis est & essentialis Dei potentia, eatenus non ut instrumento eâ Deus utitur. Quatenus verò extra Deum, vel a Deo emanans, consideratur, loco instrumenti haberi potest, & debet.

In quæstione nona quæ est: *An fides donum sit spiritus sancti*, impietatem nobis Graverus objicit, propterea quòd Ostorodus id negare ipsi videatur, his verbis. *Fides semper præcedit Spiritum sanctum & Spiritus sanctus per fidem accipitur.* Sed malè intellecta verba Ostorodi hunc stomachum concitârunt Gravero. Non enim simpliciter id Ostorodus affirmat, sed diserte addit, falsum esse, fidem esse donum Spiritus sancti, *eo modo* quo Tradelius illud intelligit quæ verba satis indicant, illum concedere, fidem esse donum Spiritus sancti, alio scilicet modo, quem, quoniam non ita diserte ibidem ab Ostorodo expositus est, hic paucis exponam. Duplex potissimum Spiritus sancti in literis sacris, præsertim verò novi Fæderis significatio est. Prior est, cum favorem & gratiam divinam communem notat. Posterior, cum singularem quandam. Gratia & favor divinus communis, est ille, qui omnibus contingit, ad quorum aures Evangelium pervenit. Singularis est ille, qui

fol. 203. Disp.
cont. Tradel.

Duplex Spiritus
S. in N. F. signi-
ficatio.

le, qui iis contingit, qui Evangelio obediunt. Ille Spiritus sanctus revelationis, hic confirmationis appellari potest. Sine illo fides nemini datur imò ipsum Evangelium est iste Spiritus Dei. Hinc illi qui Evangelium prædicant Spiritus Ministri dicuntur, & ipsum etiam Evangelium Spiritus appellatur: Hic verò iis tantum, qui jam crediderunt, pro premio ipsorum obedientiæ in hoc seculo donatur, & arrhabo hæreditatis nostræ appellatur, vel sigillum, quo obsignantur fideles ad vitam æternam. Vnde videre est, quo sensu dici possit, Fidem esse donum Spiritus sancti, quatenus scilicet nemini datur fides, sine Evangelii prædicatione: quò pertinent verba a Gravero citata, *Nemo potest dicere Iesum Dominum nisi in Spiritu sancto*; & quomodo iterum negari possit, esse donum Spiritus sancti, quatenus scilicet datur absque illo spiritu confirmationis. Et hæc quidem omnibus piis satisfactura putamus.

Quæstio decima est. Vtrum semel regenerari possint amittere Spiritum sanctum. Hic quidem cum Gravero idem sentimus: sed tamen exempla, quæ afferuntur, ad rem parum facere credimus. Nam regeneratio novi Fæderis propria est. David autem sub veteri Fædere fuit: Petrus etiam eo tempore Christum abnegavit, quo regeneratio nondum revera cæperat, deficientibus scilicet, causis illius efficientibus propriis. Quæ sunt Christi mors, & exaltatio. Loci verò Heb. 6. & 10. illud quod in quæstione est, manifestissimè demonstrant & alia tum loca tum exempla sacrarum literarum. Præterea miramur, Graverum regeneratos ab electis distinguere, dum ait *Regeneratos (non electos) finaliter Spiritum sanctum amittere, & gratia Dei excidere posse.* Quasi scilicet non sint convertibilia & idem prorsus significantia Regeneratū & Electum esse, & quasi detur regeneratus, qui non sit electus. Sentendum autem est, electos etiam posse cessare esse electos, & ita Spiritum sanctum amittere. Non potest quidem electus, quatenus electus est seduci, sed potest is, qui modo electus est, mutari, & deinde seduci & ita æternum perire. Quemadmodum ut loquuntur in scholis sedens, quatenus sedet, non potest ambulare; potest autem, is qui nunc sedet postea surgere & ambulare.

LAPS DEO ET CHRISTO.



